

Q.K.  
374,  
30.

X1903770 17

II n  
5556

L. D. B. V.  
De

# HENRICI IV. R. GALL. ABSOLU- TIONE ROMANA,

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO

DN. L. ADAMO Rechenberg /

Utriusqve Lingv. & Histor. Prof. Publ.

Studiorum suorum PROMOTORE suspicioendo,

Add. XXIV. Decembr. A. C. MDCLXXXIV.

EX HISTORIA

publice differet

AUTOR


JOH. JOACH. MÖLLERUS, Sommerf. Sil.

Magist. Candid.

---

LIPSIAE,

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.



7

INCLUTÆ  
ZITTAV. REIP.  
SENATUI  
MAGNIFICO  
SACRUM.



# P A T R O N I ,

Offero Pietatis testimonium;  
quod sine laesa pietate non offerri forte non debebat,  
neque etiam sine liberiore ausu poterat.

Interim,

si gratiam spectetis Vestram, debitum est;  
si offerentis conditionem, Academicum h.e. viribus  
conveniens;

si mentem, devotissimum.

Sed filiis forte Vestris iste colendi mos erat relinquentus.

Ignoscetis igitur,  
quod inter filios adorantes nunc cognosci velit,  
quem inter educandos olim agnovistis,  
Et quod gratorum mores hodie præse ferat,  
in quem gratis toto quadriennio contulisti beneficia seu  
gratitudinis incitamentum.

Neque in videbunt illi,  
destinari banc devotionem VOBIS,  
quorum favor Et ipsis sufficit Et mibi.  
Aequum enim dignum reproto Et necessarium  
ad eorundem modum exhibere filiale obsequium,  
quia beneficia mere paterna exhibuisti, tanquam filio,  
imo magis, quia peregrino.

Quod si etiam talia silere turpisimum est,  
deprædicare profecto non erit temerarium;  
Neque Vobis ipsis molestum,  
legem gratitudinis à me impleri, quam benemerendo  
scripsistis,  
Et quam semel impressisti benevolentiae memoriam, redire.

Imo

(dabitis verbo veniam)  
ne poteritis quidem impedire,  
quo minus concurrant ad vestrum in literas amorem collau-  
dandum etiam extra Zittaviam nati,  
quandoquidem sine impedimento decurrit Favoris  
Vestri flumen,  
Et sine nocte fulget amoris illud lumen.

Quæ singula perpetuo memorabunt,  
qui almae Zittaviae memoriam mecum non deponent,  
Et qui Vestrum in filios affectum merito mirantur,  
stupebunt ad eundem in alienigenis quoque efficacem.

Faxit æternus Pater,  
ut, qui multorum felicitatem promovetis,  
nunquam vivatis extra felicitatis statum,  
Et quos Patronos nacti sunt tot devotissimi clientes,  
sub cœlesti patrocinio totidem nanciscamini salutes.  
Respondeat VESTRIS consiliis successus,

Curis lætitia,  
Expectationi eventus.

Sitq; Zittavia Theatrum felicitatis & fortunæ  
ex voto

RESPONDENTIS.



## BREVARIUM.


re.  
ll-

§. 1. Dissertationis argumentum & ejus partes. (2. Henrici IV. origo.  
(3. Educatio. (4. Ejus virtutes partim à bonitate indolis, par-  
tim à disciplina: (5. Virtutum laudes. (6. Is propter religio-  
nem Hugonotticam odio & periculo exponitur. (7. Status Gal-  
lie isthac tempore turbulentus, & qvæ turbarum & factionum  
caußæ; (8. Unde in Gallia UNIO & LIGAS. (9. Liga  
Hugonottis gravis, & casus tragicus Henrici III. (10. HEN-  
RICO IV. inde via ad regnum Franciæ capessendum: (11. Hic  
propter factiones insidiosas de mutanda religione cogitat: (12.  
Illam sibi certis rationibus persuaderi patitur, & ab Episcopo  
Bituricensi, solenni ceremonia in Eccl. Rom. recipitur; (13. Qvæ  
receptio à Pontificis R. asseclis, in dubium vocatur: (14.  
Ideo illi Romæ cum Hispanis adversus Henricum insidiose a-  
gunt: qui interim securior factus, injurias Hispanorum, succes-  
su non adeo prospero, ulcisci molitur. (15. Inde ut Papam R.  
etiam haberet clementem, ejus quoque absolutionem expetiit:  
(16. Caussa erat regni, quam volebat, tranquillitas. (17. Hinc  
legati duo eximii iterum Romanam mittuntur: (18. Qvorum ne-  
gotiationem Hispani impedire machinantur. (19. Sed Papa eo-  
rum preces exaudit: (20. Simulqve depositionem coronæ Ern-  
cicæ ad pedes suos à legatis prius postulat, ac (21. ignominiosas  
reconciliandi Regem conditiones proponit: (22. Qvas legati  
adprobare recusant: (23. Papa tamen habito prius con-  
cilio cardinalium, absolutionem petitam decernit instituendam,  
(24. Cujus ceremonia & solennia describuntur. (25. Qvibus  
absolutis Henricus IV. habetur catholicus, favens tamen Hugo-  
nottis. (26. Judicium de mutata religione theologis relinqvitur:  
at iste absolutionis actus partim iniquus, partim ignominiosus  
visus est: (27. Probatur iniquitas respectu Pontificis R. & (28.

A 3 ad

instantiam simul respondetur: (29. Deinde respectu legatorum  
hac in parte Domini sui mandatum excedentium & Majestatem  
ejus prostituentium. (30. Probatur & ignominia inde in Re-  
gem avutē Juvov redundans; (31. Qvæ ulterius à contra-  
rio illustratur: (32. Henrici patientia hac in parte ob tempo-  
rum necessitudinem excusatur, & historia parallela declaratur,  
fine cum voto dissertationi imposito.

§. I.



Ropositum mihi est Henrici IV. Gal-  
liarum Regis *absolutionem à heresi*, qvam  
vocant, *Hugonottarum*, Romæ per Pontifi-  
cem Clementem VIII. D. XVII. Dec. Anno  
M D XCV. factam ex historia potissimum  
describere; ut PATRONIS meis qvale-  
cunqve studiorum testimonium exhibere possim. Qvæ  
destinata anteqvam componam, repetendum videtur, qvæ  
Henrici origo, qvæ educatio, qvis Galliæ eo tempore sta-  
tus fuerit: ut ratio causæ qvæ facinoris tanti magis lectori  
pateant,

§. 2.

Fuit ergo Henricus IV. Antonii ducis Vindocimen-  
sis & Johannæ Albretanæ filius, apud Palentiam d. XIII.  
Decembr. anno M D LIII. leo ex vacca, (ita per ludibri-  
um, matrem ejus vocabant Hispani,) natus; (1) à regno  
avito, quo anno ætatis XI. post mirabilem parentis mor-  
tem potiebatur, *Navarræus*, à gente Borbonia, ex qua ori-  
undus, *Borbonius* appellatus.

§. 3.

Educationem non Principum more, adeo delica-  
tam expertus est; septem qvippe traditus nutricibus, in-

ru-

---

(1) Hardouin. de Perefixe *Histoire du Roy Henry le Grand c. I.* p. 27. Rittersh.  
Exeg. Hist. Geneal. p. 43.

rupe tantum non plane deserta, in quinque usque aetatis annum, rustico habitu, nudis pedibus, capite non semper tecto obambulavit, vilibusque cibis usus, tandem in Galliae decus adolevit. (2) Quem propterea *Barclajus* ingeniosissimus istorum temporum scriptor, in personata sua Argenide, (3) sub educatione rustica descripsit. Neque tamen hoc sine consilio factum est. Credebat enim avus ejus *Henricus Albretanus*, principem ad majora natum, ab incunabulis ferendis malis aut adversis assuetudinem esse; quod nepos hic laudabili mox confirmavit documento. Adultior enim factus tot bellorum ac adversitatum difficultatibus superandis non modo suffecit, sed etiam magno corporis & animi robore praeditus, superavit.

#### §. 4.

Virtutes quibus excelluit, partim a generosae bonitate indolis, partim a disciplinae rigore & diligentie educatione habuit. Nam velut arbores eum statum retinent, quem ab hortulani cura & ductu acceperunt; ita puerorum, imprimis etiam Principum animi eam diu servant imaginem, quam ii, sub quorum tutela adoleverunt primis annis impresserunt. Prima igitur aetas impensa literis

---

(2) *Rittersh. l. c. p. 44.*

(3) *L. IV. C. 9. seqq.* Durior ejusmodi educatione non raro configit illustribus Principum filiis: Nota sunt Exempla Regneri II. Svec. R. & Toraldii Fratris ex Loccen. *Hist. Svecan. L. I. p. 11.* *Conf. Saxo Gram. Hist. Dan. L. II. p. 22.* & Joh. Magnus Goth. *Sveonumq[ue] Histor. L. 2. C. XV. p. 94.* Alb. Kranzus in Regnor. Svec. & Dan. *Chron. L. 1. C. 17.* Scheffer. *Memorab. Svet. Gentis C. 35. Ex. 4. p. 219.* it. Regum Habessinorum, quorum Educationem tradit Ludolf. *Hist. Aethiop. L. 2. C. 8. n. 24. seqq.* & Sigismundi I. Pol. Regis, quod non ita pridem elegantiis Oratoriis commendavit Clarissimus noster VVEISIUS in *Elucidario Orator. Pol. P. I. e. 4. §. 7. p. 147. Conf. Jac. à Bruck, Embl. XIX. p. 75.*

ris est, & studio religionis (4) Reformatæ: præceptore e-  
nim matre sic consentiente, usus est illam religionem pro-  
fesso. Sub cuius manuductione, ita eam imbibit mature,  
ut Hugonottis spem faceret insignem ejusdem promoven-  
dæ in Gallia. Verum cum non omnia summe natis for-  
tunæ principibus discenda è literis; in his talibus non diu  
hæsit: ne vividum generosumq;ve animum torqueret in  
alia, qvam qvæ promittere magnum Galliæ principem  
possent. Ideo artes diversas boni ducis & boni principis  
mature didicit ac copulavit etiam, ut arma tractare, pa-  
cem tueri aut facere, suosq;ve cives utroq;ve tempore, be-  
ne regere intelligeret. Est quidem ista Principum ut a-  
lliorum hominum conditio, ut alteri altero plures virtu-  
tes contingant, nemini omnes. Rarò inveniuntur, qvi in  
qvodlibet reipublicæ tempus, & ubiq;ve præcellant. At  
Henricus noster toga æq;ve ac armis magnus, domi perin-  
de, ut publice, boni Principis consummavit exemplum.

### §. 5.

Sane ejus virtutes apud universos Galliæ historicos  
utramvis faciunt paginam. Nostri tamen instituti non  
est, istis præconiis diu inhærere. (5) Sufficiat hic allega-  
se unicum Sixti V. testimonium, qvi dicere solitus est; *to-  
to orbe se unum virum & fæminam videre dignos, qvi regna-  
rent, NAVARRUM & ELISABETHAM Angliæ Reginam*  
intelligens. (6) Hinc etiam MAGNI nomen statim  
post funera adeptus est. Imo Galli hodienum gloriantur  
& asseverant, unam Henrici oblivionem esse humani ge-  
neris

(4) *Prefix. l. c. c. 1.*

(5) *Conf. Thuan. T. V. Histor. Bussier. Hist. Franc. P. 2. L. 23. C. 21. p. 583. seqv.  
Serrani Inventar. Franc. Hist. p. 871. & qvi peculiariter de eo scrip-  
runt, Prefix. l. c. Petrus Matthæus aliqui.*

(6) *Thuan. Hist. L. 82. Vicqvef. Ambass. L. 2. C. 1. p. 692.*

neris occasum. (7) Mirum igitur non erat, quod honores hanc virtutem mature quererent. Nam vix annum, ætatis decimum attigerat quintum, cum Ludovicus Princeps Condæus ei exercitum Hugonottarum Rupellæ offerret regendum. (8)

### §. 6.

Sed mirum quantum, jam eo tempore Hugonottas Pontificiorum odia premebant; ut vix mitiora fata experirentur, quam hodierni Gallorum Reformati à placitis ecclesiæ Romanæ dissentientes. Notum est prælium ad fanum Dionysii commissum, in quo exhausta ferro eorum septuaginta millia: secuta paulo post in nuptiis Henrici nostri famosa illa Parisiensium laniens: ubi horrendo spectaculo natabat in sanguine cæsorum, quanta est Lutetia, privatiqve per urbem rivuli dum de sanguine undiqvaque confluente in Sevanam exonerarentur, colorem fluvii mutabant, numero per Galliam cæsorum ad triginta milia excrescente. (9) Ipse Sponsus inhumano militum, clamore: *la mort ou la messe* (10) perterrefactus vitam vix redimebat, religionem pristinam abjurando: quanquam id oretenus tantum factum esse postea compertum est.

### §. 7.

Qui turbulentus Galliæ status ut rectius intelligatur, paullo altius ex \*Thuano, Pufendorfio & aliis Scriptoribus illustribus repetenda est motuum intestinorum origo. Nempe causa ejus prima fuerat æmulatio & ambitio Princeps ex gente Borbonia ortorum, qui Valesiæ domui re-

B gna-

(7) *Lans. Consult. Or. pro Gall. p. 205.*

(8) *Ritterh. l. c.*

(9) *Gramond. Hist. Gall. L. 6. p. 309.*

(10) *Perefix. l. c. p. 31.*

\* *Thuan. Tom. V. Hist. Pufendorf. Isagog. in Hist. recent. cap. V.*

gnatricigloriam summi fastigii invidebant aut affectabant ipsi. Contra hos nitebatur Gvisorum factio non minus in Gallia potens ac gratia apud Regem Franciscum II. pol-lens, favente etiam horum partibus matre Regis Catharina de Medices, fœmina dominandi libidine & artibus aliis notissima. Speciem ambitioni suppeditabat Reli-gio reformata, cui Gvisorum æmuli ac hostes maximam partem addicti fuerunt. Sic igitur Condæis & Borboniis dignitatem comparare, Gvisis augere aut retinere cupi-entibus, omnibus pariter potentiae cupidis, de invadendo aut turbando regno facile convenit. Ergo cum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, motus illi in bel-illum eruperunt intestinum, ut cives cum civibus suis gladiatorio more, ut olim in bello civili Romano, concurre-rent.

### §. 8.

Inde post Caroli IX. Regis obitum, regno potiente Henrico III. ex Polonia reduce, nova factio, quæ *Unio* seu *Liga S.* appellatur, emersit. Cujus autor Henricus Dux Gvisius fuerat, Sacerdotum & plebis Parisiensis favore suf-fultus; quippe penes quam magna Gvisiani Nominis au-toritas. Præsertim quum Rex novus voluptatibus dedi-tus, regni curam permitteret matri, Gvisio magis, quam Hugonottis faventi. Hic igitur obtenu religionis Ca-tholicæ, quam vocant, defendendæ, fœdus magno Sacra-mento contra Hugonottas icit. Qvod in comitiis Ble-sensibus, adprobata etiam Liga Sancta, Rex ipse confirma-vit. Gvisiana ergo factio spiritu & potentia allevabatur: imprimis cum mortuo duce Alensonio fratre Regis junio-re, nulla spes prolis Regiæ superesset amplius. Itaque Gvisius callide simulabat, ac si cura ad regium solium eve-hendi Cardinalem Borbonium tangeretur, excluso à suc-cessione

cessione Rege Navarræ Henrico nostro, hæresi scilicet infecto. Hanc enim ob causam in fœderis Societatem adtraxit Philippum II. R. Hispaniæ, cui discordias fovere & vires Galliæ distinere alias curæ fuit: ne forte Gallia pacata, turbatis Belgii rebus Galli sese immiscerent.

§. 9.

Variis ergo artibus & dolis Liga hæc firmata, anno M D LXXXV. novum bellum contra Hugonottas exarsit. Qvo qvidem vires horum valde attritæ fuere; ita, ut si, qvemadmodum prudentes judicabant, Rex pari cum Ligistis ardore in Hugonottas furere voluisse, isti ad incitas facile redigi potuissent. Sed is, ut Gvistorum callida destinata interverteret, statores Ligæ Gvisium & Cardinalem Borbonium è medio tollere jussit. Qvo facto, Ligæ complices adversus Regem magis exacerbati, Episcopos Sacerdotes, ac ipsum Papam R. excitarunt, ut hic excommunicationis fulmine Regem feriret; hi eundem publice regno excidisse, clamare non desisterent. Hic Ligistarum furor seu rabies permovit Regem, ut cum Henrico IV. Navarro pacisci, ac conjunctis Hugonottarum viribus, Ligistas aggredi, & in ordinem redigere constitueret, Lutetiæ metropoli Galliæ castris jam admotis. At eo ipso die, qvo destinata exeqvi decretum fuerat, homo qvidam piacularis, Jacobus Clemens, monachus ordinis Jacobini in castra ad S. Clodovæum venit, Regem prætextu literarum secretiorum compellaturus: Hic malus genius humana specie indutus, in eo conclavi, qvo laniena Parisiensis conclusa ante fuerat, d. i. Augusti anni M D LXXXIX. cultro venenato, præter opinionem ventrem Regis percussit, ut vulnere lethali accepto, seqventi die expiraret, extincta simul cum eo linea Valesia hactenus dominatrice.

B 2

§. 10.



§. 10.

Hoc casu Henrico IV. Regi Navarræ via ad capessenda Galliæ sceptra patuit, qvæ jure suo & Hugonottarum favore nixus, aggredi ipse non diu hæsitavit. Etsi qvod *Bussierius* (11) habet, non ignoraret, diadema sentibus & tribulis intextum ad ærumnas animi magis, qvam ad gloriæ & Majestatis fastigium oblatum datumqve esse. Nam religio Reformata, cui à primis annis fuerat innutritus, difficultates non paucas ei peperit: cum Ligistæ, Papa & Hispani magno molimine anniterentur, ut religionis prætextu, ipse regno ad se spectante arceretur. Notum enim in vulgus jam est arcanum Hispanorum (12) quo sub religionis Catholicæ propagandæ aut defendendæ prætextu, inde à Ferdinandi Arragonii tempore, Europæ concupiverunt dominium. Atq; hic *Thuano teste*, nullam unqvm invadendi Gallos occasionem, vel contra datam fidem prætermisit.

§. II.

Henricus ergo molestias hasce ac difficultates animo reputans, nolebat qvidem Romanam religionem statim, amplecti: ne levitatis argueretur à suis, simulqve Hugonottarum perderet favorem. At vero expendens à Ligistarum partibus stare multos Galliæ proceres cum Episcopis, Hispano, Papa & Principibus Pontificiis, excepto Duce Florentino & Republica Veneta; sua autem castra sequi Principes Protestantes, plurimos Galliæ nobiles ac veteranos Hugonottarum milites; primum dubitavit religionem mutare. Verum cum multi Galliæ proceres & exercituum etiam duces ipsi obsequium promitterent hac lege, si intra sex mensium spatium, in religione Romana sese informari pateretur. Hinc eventum belli civilis dubium

---

(11) *I. e. L. 22. C. 1. p. 487.*

(12) *v. Thuano Hist. L. 1. & Gramond. H. G. L. 18. p. 264.*

bium funestumque esse cogitans, in conditionem oblatam consentit: quanquam certo temporis articulo adstringi noluit. Præsertim cum post ducem Mainum, Cardinalem etiam Juniorem Borbonum favore Papæ Gregorii XIV. nixum, a quo ipse excommunicatus fuerat, regnum ambire suum cognovisset. Quibus Philippus II. R. Hispaniæ Sororem Isabellam Claram Eugeniam offerebat sponsam. De qua in comitiis Ordinum Parisiis anno 1593. habitis consultabatur; quibusdam Archi-Duci Austriae Ernesto, quibusdam vero Carolo Gvilio duci eandem destinantibus. Sed Dux Mainius ejusdem sponsæ procus, ne hac in parte fieret decretum suis consiliis minus proficuum, impedire strenue laboravit.

### §. 12.

Has inquam motuum & factionum in Gallia causas *Henricus noster* contemplans, morem gessit sudentibus cum Plessimornæo, vellet Romano-Catholicis fraudem facere, oblata spe conversionis, & nihilominus animo in religione sua perseverare: (13) cum alias regnum nunquam habiturus esset tranquillum & quietum. Qvod consilium an cordatis Theologis dignum fatis sit, alii judicent. Henricus sane adprobavit, & cum peritissimis deliberans, hoc modo viam ad pacem & quietem Galliæ emunire constituit. Ideo celebris postea Gramondo teste, (14) Disputatio contra Plessimornæum Calvinistam habita: Indicitur (scribit) ad fontem bella queum in disputationem dies, siffliturque arenæ uterque pugil, convocantur theologorum utriusque in Gallia religionis principes, ipse Rex hæsitabundus presentiam accommodat pugnæ, victoriique demum Perronio fidem. Ferunt à Rege finem disputationi impositum, postquam à Mornæo quæsum, crederetne ipse Catholicis Romanis despe-

(13) *Buffier. l. c. p. 534.*

(14) *l. c. L. 3. p. 201. sq.*

ratam esse salutem? respondente, immensam esse DEI misericordiam, cuius beneficio salvi esse possint errantes in fide: negante Perronio extra Ecclesiam Romanam salutem fore, respondit Rex: *Quandoquidem concordes pro salute Catholicorum utriusque opinionis Doctores, tuius se catholicum fore.* Adjunxit nutanti momentum haud leve Surenense Colloquium paulo post religionis causa institutum. Tandem absolutioni d. XXV. Julii destinata fuit, qva Rex progressus à palatio regio, qvod est in oppido S. Dionysii, ac facco linea superindutus, nudis pedibus, capite aperto, cereum accensum manu tenens, ivit ad templum primarium illius loci, magna populi multitudine inspectante. Ad valvas templi cum accessisset, & clausas invenisset, eas ipse met manu pulsavit, & interrogatus ab Episcopis, qui templum occupabant, *quis esset?* Respondit: *se esse Regem Navarræum, Galliæ Regni verum hæredem:* regressit Episcopus: *Quid hosti Ecclesiæ, quid lupo cum pastoribus?* At ille ait: *Se simulata apostasia graviter in Deum & Ecclesiam deliqvisse, sed propterea dolere, & ex animo pœnitere, ac ad gremium Ecclesiæ reverti, petere que ut à matre pia, non secus quam à patre filius perditus recipiatur.* Tunc valvæ templi fuerunt apertæ, & stans in porta Archiepiscopus Bituricensis varia quæsivit ex Rege, juxta ritum in Pontificali libro præscriptum; illo ad singula respondente & omnia promittente, dixit: *Ego te salva summi Pontificis censura, à crimine apostasie absolvo, Ecclesiæ restituo, & ad sacramenta ejus admitto, additis precationibus & ceremoniis præscriptis.* Postmodum introductus Rex in templum, ubi Archiepiscopo peccata fuit confessus, deposito que pœnitentiæ habitu, sacram missam in Regali throno sedens magna cum devotione audivit. Qva finita à proceribus & Episcopis ad palatium regium fuit reductus. (15)

§. 13.

At enim vero facta hæc erant, majore consultantium parte ita censente, non appellato Pontifice. Idqve Hispanis & fœderatis uberem dedit materiam hanc *absolutiōnem* calumniandi; qvod unius esse Pontificis dicerent, de sinceritate conversionis ferre judiciū, eam admittere, atqve stricta à superioribus Pontificibus vincula solvere. (16) Neqve etiam hac in parte desiderio amicorum deerat Henricus; sed testatus sibi animum esse, Catholicam fidem tueri ac servare illibatam. Idcirco misit Isaiam Brochardum Cliellam cum literis, qvibus Pontificem de reconciliatione sua Ecclesiæ facta certiorem reddere. Qvem paulo post secutus est Dux Nivernensis confirmationem factæ absolutionis (17) sollicite rogans.

Ast mœrebant Fœderati tot annorum consilia religionis nomine velata, per eam reconciliationem irritacädere; subruto scilicet S. Ligæ fundamento. Itaqve misserunt Romam, qvi totum hoc negotium variis technis irrent impeditum. (18) Henricus interim Rex Carnuti co-coronatus solenniterqve inunctus, negotia domestica composuit, sapientia sua atqve solertia perculsum undiqve & perturbatum imperii corpus ordinavit: urbes, qvæ ha-ctenus sibi repugnaverant, ultro cum Lutetia Regis imperium subeunt; Hispanis non sine irrisione Parisiis expulsis.

Ipse

(15) *Bussier. l. 5. p. 535. Pias. sec. Chron. p. 107. Rittershus. Exeg. pag. 44. seqv.*  
Hac una victoria inquit autor *Floscul. Histor. delibat. p. 282. Curtrasiæ, Juriacam, Dieppensem & alias ita cumularvit, ut subditorum animis viatis, fœderis nexus quasi Gordium nodum semel abrumpens, heresis nube amota, splendidissimus Sol Francis illuxerit.*

(16) *Bussier. l. c.*(17) *Thuan. Hist. L. 107. p. 378. T. V.*(18) *Thuan. l. c.*

Ipse Carolus Gvisius dux junior Regi se submiserat. Qva-  
propter Henricus securus domi, Hispanis bellum denun-  
ciat; partim ut illatas injurias ulcisceretur, partim ne Hu-  
gonottarum favore excideret, qvibus nomen Hispano-  
rum adeo exosum erat. At Hispani non solum fortiter  
Henrico resistebant; sed apud Pontificem eundem incu-  
sarunt hæresis, à qua nondum esset solenniter absolutus.  
Jesuitæ etiam Monachum Johannem Castellanum sub i-  
nitium istius belli, anno M D XCIV. credebantur subor-  
nasse, qvi Regis jugulum petere ausus, sed eo caput subito  
inclinante, dentem cultro excussit. Qvamobrem Jesuitæ  
ex Gallia ad tempus fuerunt proscripti. (19) Scelus hoc  
Serranus Confessionarius, dictorio nimis libere usus ad  
Regem notavit: *Vestra Majestas DEum abnegavit ore: os*  
*igitur pœnatetigit: sincorde abnegaverit, in ipsum quoque*  
*vindicta penetrabit.* Et sane postea ex Pontificiorum opi-  
nione penetravit; cum pessimus bipedum cultri acie felici-  
tatem Franciæ abscinderet. (20)

### § 15.

Ergo ut etiam Pontifici R. conciliaretur, ac adeo  
Hispanorum artes eluderet omnes, ipsum per legatum  
sollicitat, impertiretur sibi *absolutionem & benedictionem.* Ex qvo enim Nivernensis Dux ad pedes Pontificis  
aliquoties prostratus benedictionem nullam impetrasset,  
sed re infecta, regressus in Franciam esset, (21) Pontifici  
nunciabatur agitatum iri in Francia apud nonnullos qvæ-  
stionem, *de constituendo patriarcha.* Rigoris igitur pristi-  
ni non nihil remittebat, merito qvidem, judicante sic Ossa-

to

---

(19) *Bußier. P. 2. L. 23. C. 2. p. 545.*

(20) *Ib. C. 21. p. 585. Gramond. l. 1. init.*

(21) *Thuan. L. 108. p. 397. sq. Piasc. Chr. p. 134.*

to apud Thuanum: (22) & anxius ne Henricus pērnicio-  
siore exemplo absolutionem petere negligeret, clariori-  
bus jam signis, si peteretur, fore concedendam insinuabat.  
(23) Missis enim ad Cardinalem Gondium literis, ut re-  
gem ad repetendas denuo preces impelleret, hortabatur:  
nec minus in signum novi favoris fratres Carthusianos  
Capucinos & Minoritas jubebat in precibus suis nomina-  
re Regem, ejusqve salutem DEO commendare, qvod ha-  
ctenus facere neglexerant, ut annotavit *Mezrayus*. (24)  
*Gramondus* (25) heic etiam Cardinalis Perronii ope-  
ram ac studium deprædicat: *Ubi Henricus III.* (ait) ex-  
cesserat, *Henricum quartum Calvinistam, ad Catholicam fi-  
dem convertit; Ebroicensiq; Episcopatu donatur, (leve do-  
num pro beneficii dignitate,) dein summo Pontifici autor est,*  
*ut Christianissimo Regi impertiatur paternam de more benedi-  
ctionem, quam in eam diem negaverat velut heretico: lega-  
tione Romam probe defungitur: Clementi VIII. conciliat*  
*Henricum IV. ingenti ecclesiæ orthodoxæ applausu.*

### §. 16.

Qvæ res propterea non ingrata eveniebat Regi,  
qvod crederet, sic tandem futurum esse, ut dissidiis inter-  
nis ea propter excitatis, finis imponeretur, ac Hispano-  
rum, qvorum intererat turbulentum Galliæ statum fo-  
veri, obex aliquando poneretur. Breviter, ut regno  
Galliæ pacatius potiretur, & qvam causam addit *Becman-  
nus* (26) qvod putaret, se majora beneficia, hac ratione in  
Reformatos conferre posse.

C

§. 17.

(22) L. 107. p. 379.

(23) Pias. l. c.

(24) *Dans son abbrege ann. 1595.*

(25) L. 3. Hist. Gall. p. 201.

(26) Hist. Orb. Geogr. P. 2. C. 3. p. 500. sqv.

§. 17.

Eqvidem haud deerant inter aulicos, qvibus æqvum videbatur, ut Pontifex anxie nunc desideraret, qvod facile riuper contempssisset, & regem qværendo satis fatigatum qværeret ipse. At enim vero alliciebant Regem pax generalis, tranquillitas imperii & civium obseqvium, qvæ ex solo isto beneficio sperari posse videbantur. Qvod non obscure innuit *Serranus*; (27) Qvapropter legatos destinavit, cautoqve instruxit mandato de conditionibus abolitionis cum Pontifice conveniendi. Delegati autem ad illud negotium fuere Jacobus David Perronius, (cujus doctrinam & mirificam eloquentiam, pondusqve rationum præter Bussierum (28) extollit allegatus modo *Gramondus*,) (29) & Arnoldus Oslatus a *Thuano* sæpius honrifice nominatus: (30) Natus in Francia obscuris qvidem natalibus, adeo ut cognatos & affines plane ignoraret. (31) Sed diuturna consuetudine Romanorum peritissimus morum, & curiæ ac aulæ Pontificiæ inspecto sagacissimus. (32) Hos Romam alegatos, singulis horis novi informabant tabellarii, (33) literis à Rege allatis.

§. 18.

Hæc dum in Gallia adornantur, Hispænicæ factionis architecti mirum in modum Pontificem irritabant, nullamqve non movebant machinam, ut impendens sibi malum amolirentur, & pristinum odium ulterius foverent. Videbant enim extremum morientis fœderis spiritum eo

uno

---

(27) In Inventar. p. 731.

(28) L. 22. C. 25. p. 534. & L. 23. C. 6. p. 553.

(29) L. 3. Hist. G. p. 203.

(30) Vid. L. 107. p. 378.

(31) *Thuana*. L. 31. Wicqvef. Amb. L. 1. C. 7. p. 108.

(32) *Bussier* l. c. L. 23. C. 6. p. 553.

(33) *Mezray* l. c.

uno remedio contineri. (34) Neqve etiam spes omnino  
eos se fefelleret judicanda erat ; qvum regiis hisce  
delegatis diu satis aditum ad Pontificem occluderent ;  
donec tandem Toletus Cardinalis pro autoritate, qva  
pollebat in Pontificem, ipsum adhortari, impellere &  
prope modum cogere ad impertiendam absolutionem  
Regi non cessaret. (35)

### §. 19.

Postquam igitur Pontifex libellum Regis supplicem  
a Perronio accepisset, (cujus argumentum annotavit  
*Thuanus*) (36) permotus hinc, qvod tam diu videret ad pe-  
des suos projectum primogenitum Ecclesiæ filium, pri-  
mum Christianum Principem, tandem scilicet verus fit  
pater & justitiæ protector. (37) Medio enim Julii anno su-  
pra memorato convocat Cardinalium Collegiū, qvod cum  
votis maximam partem consonantibus in absolutionem  
Regi conferendam consensisset, non deerant malesana  
conjuratis hostibus consilia, qvibus absolvendi formam  
reddere conabantur difficilem ; dictantes modo absolu-  
tionem hanc impetrandam esse a Tribunal i Inquisitionis,  
modo formulas immiscentes Majestati Regis Galliæ de-  
rogantes. Imo parum aberat, qvin Pontifici absolutum in  
Gallias imperium promisissent. (38)

### §. 20.

Eqvidem non poterant hæc molesta esse auribus

C 2

Pon-

---

(34) *Bussier l. c. p. 553.* *Le Sieur de Ceriziers en son Tacite Francois p. 411.*  
On ne Scaurois croire les oppositions, qve les Ministres du Roy trou-  
verent à Rome, pour obtenir son absolution. Confer *Linn. Notit.*  
*Regni Franc. libr. II. c. 3.*

(35) *Bussier. l. c.*

(36) *Hift. L. 113. p. 585.*

(37) *Serr. ar. l. c.*

(38) *Vid. Mezray. l. c.*

Pontificis; qv tam svavi adulazione elatior factus, audiebat Regis procuratores in arcano variis modis tentare: an coronam ad pedes Pontificis deponere vellent, eoqve signo regnum Franciæ in suas qvas manus resignare, qvod ille se pro rege gerens, qvamvis a sancta sede jure successionis & alio omni, qvod in regno Franciæ sibi competere contenderet, privatus, contra divina jura & humana occupasset: Qvam post illam summisionem Pontifex in capite procuratorum mox repositurus eslet. Verum illi hanc conditionem aversati, Reges Franciæ, qvantum ad jurisdictionem spectat, nullum superiorem in terris agno. scere demonstrarunt. (39)

§. 21.

Sed utinam pari felicitate in reliquis fidem Domino suo adprobassent, ejusqve majestatem tueri non destitissent legati. Nam novas subinde easqve ignominiosas conciliationes excogitabant curiæ papalis affeclæ; donec in sedecim conditiones conventum esset, qvas nominat *Thuanus*: (40) *Piascius* tantum tredecim recenset. (41) Præcipuas harum fuisse dicit *Bussierius* (42) ut Rex in *Bernia* instauraret Catholicam religionem, intra annum Condæum principem ab *Hugonottis* reciperet, curaretq; orthodoxa religione institui; admitteretur Tridentinum Concilium, iis exceptis, qvæ observari non possent, qvin tranquillitas regni turbaretur. Sed potiores causas respectu Pontificis cum *Mezrayo* fuisse crediderim, qvod ille Regis absolutionem ab archiepiscopo Bituricensi obtentam jam ante, vellet irritam declarare; eoqve testari, reqviri Papalem ad tale nego-

---

(39) *Thuan.* L. 113. p. 587.

(40) L. 113. p. 578. seq.

(41) *Chron.* p. 135. seq.

(42) L. 23. C. 6. p. 554.

negotium autoritatem; qvippe qvi baculo suam potestatem in regem ostendere voluit. Qvam pastoralem, an despoticam dicere debeo, sane adhuc ambigo. Certe, qvod diceret in ipso absolutionis actu adhibendū *Rehabilitatio-*  
*nis*, qvam vocant, verbum; (43) satis arguit despoticum πύΦον: ac si tunc demum idoneus Rex fieret ad capessendum regnum; utpote qvi toties excommunicatus succendi jura amisisset.

§. 22.

Hæc & alia cum suis postulabat Pontifex servus ille servorum imperiosissimus. Legati vero reconciliationis tamdiu frustra tentatæ cupidissimi, vel, ut rectius loqvar, benignitatis Pontificiæ captatores, mandati regii de non violanda majestate, parum memores, facile consentiebant in priora postulata, ut declinarent ultimum suo quidem judicio pessimum. (44) Id enim Ossatus offensionis lapidem dicere solebat: ubi nimirum Rex per istam reconciliationem, revocatis Sixti V. & Gregorii XIV. censuris, ad regnum habilis demum reputandus erat. (45)

§. 23.

Tum Pontifex, ne in tanta re inconsulto quid constitueret, indicebat preces solennes, qvibus aliquoties intererat nudis pedibus apertoqve capite, lacrimas profundens, neqve benedictionem ulli impertiens. (46) De hinc Cardinales singulos in conclavi suo adibat, seorsim exploraturus, quid de arduo hoc negotio censerent; cum qve reperisset duas partes illorum, dissentiente una tan-

C 3

tum,

(43) Thuan. l. c. p. 588.

(44) Mezray l. c.

(45) Vid. §. antec. 21.

(46) Thuan, L. 113. p. 586. Buffier. p. 552.

tum, consensisse in hanc *absolutionem*, suffragium benignus scilicet pater, etiam suum adjecit. (47)

§. 24.

His præmissis, *Absolutionis* ceremoniæ sequuntur solenni qvasi Scena instructa, qvam verbis *Bussieri* (48) & *Piasecii* (49) potissimum describere lubet. Die Septembbris decimo sexto (50) consedit Clemens VIII. in pegmate ante fores S. Petri erecto, & adstantibus Cardinalibus cum Pontificia curia, Perronius ac Ossatus in ejus adspectum admissi, legunt primo libellum Regis supplicem, exhibito in eam rem mandato: mox lecto decreto Pontificis, qvo priorem *absolutionem* Regis abrogabat: Procuratores ejurant hæresin, ac Catholicam fidem profitentur: tum prostrati ante Pontificem ejus manu virga seu baculo oblongo leviter pulsantur humeros, dum Psalmus (LI) *Miserere* &c. concinitur: (idqve ad singulos Psalmi versiculos, teste *Thuano*: (51) *Piasecius* dicit, additum qvo que fuisse Psalmum CXXX. *De profundis clamavi* &c.) Qvo absoluto, exurgit Pontifex & mitra de capite deposita fundit aliquot Orationes, tandem in solio considens, *absolutionem* pronunciat, legatisq; benedictionem impertit, extrema dicentis verba excipiente populo faustis acclamationibus Regi & Franciæ, tubis, tympanis & tormentis Adrianæ molis gratulationem late intonantibus. *Serranus* (52) exprimit felicem hanc & lætam populi Rom. acclamationem: *Vivat Henricus Borbonius, Franciæ*

E<sup>3</sup>

---

(47) *Thuano*. p. 589.

(48) *P. II. Hist. Franc. L. 23. C. 6.* p. 554.

(49) *Chron. p. 136.*

(50) *Serranus. l.c. p. 731.* nominat d. 18. Septembr. *Thuano. L. 113. p. 589.* d. 15. Cal. Octobr.


(51) *Hist. L. 113. p. 589.*

(52) *In Inventar. p. 731.*

& Navarræ Rex Maximus, Victoriosissimus! Vivat Rex Christianissimus & Catholicissimus! Vivat Primogenitus Ecclesiæ Filius! Fiscalis interim Pontificis & inquisitionis omnes Protonotarios & Notarios præsentes, & nominatum Dandinum & M. Flaminium Inquisitionis scribam requisivit, ut hujus actus memoriam conservarent, & instrumenta publica de eo conficerent. Mox apertæ S. Petri valvæ, & in ædem Procuratores introcti, ubi eos his verbis admonuit Pontifex: Quemadmodum ipse nunc Regi illorum Januam Ecclesiæ militantis in his terris iterum aperuisset; ita Regiam Majestatem eniti debere, ut viva fide & bonis operibus se introitus in Ecclesiam triumphantem in cœlis faciat capacem. Hinc sumpta S. communione, deducti sunt ad sepulchrum Sanctissimorum Apostolorum: ubi postquam precatio[n]es suas flexis genibus dixissent, Cardinalis S. Severinæ summus Pœnitentiarius certis precibus recitatis, eos dimisit. Eumque finem fortita est celeberrima hæc ceremonia, an comœdia, quæ ecclesiæ R. totus restitutus dicebatur Rex, fœderis partes abjectæ prorsus & infractæ.

§. 25.

Finito sic ceremoniarum hoc choragio, *Henricus noster* habebatur, Catholicus & dignus, qui Franciæ sceptrum gereret. Enimvero quibus Regem intimius nosse datum fuit, non nesciebant fidei Romanæ professionem cor Henrici nondum penetrasse; et si ritibus Romanis, ut potest quibus religio illa maximam partem constat, postea uti in sacris necessum habuit. Nam Hugonottas non solum toleravit, sed etiam contra morem apostatarum (qui sunt persecutores sui ordinis,) iisdem favorem suum variis documentis comprobavit: imprimis edicto Nannetico publicato, quæ de Religionis libertate iis cautum



tum fuit. Qvinimo cum postea placendi studio quidam aulicorum procerum Romanæ religionis fidem complexus esset, id ipsi exprobavit inqviens: *Tum demum tibi deficiendum fuisset, si meo exemplo regnum integrum apostasia lucrari potuisses.* In ore etiam habuisse fertur, non dignum principe facinus esse, missam freqventare, ut coronam Franciæ impetret. Interdum etiam jocari solitus, dixit: tria se credere debere, qvæ sciret aliter se habere: nempe se esse verum Catholicum; Elisabetham Reginam esse virginem, & Albertum Archiducem esse strenuum & peritum belli ducem. Qvæ omnia argumento sunt, Henricum ob temporum istorum necessitudinem ore magis, qvam corde Hugonottarū religionem abnegasse. Et caussam hanc cædis suæ postea fuisse, non obscure prodit Gramondus: *cecidit inquit, Henricus tetra melancholici hominis rabie: caussa parricidii supersticio, qva Calvinistis favere creditus, ex eo qvod pacem inter subditos abluit, donec vixit non habita religionis ratione.* Qvod ipse prudens sane consilium merito appellat.

### §. 26

Quid Theologi de hac religionis mutatione aut simulatione ejusqve caussis sentiant, aliis disqvirendum relinquimus. At, qvo jure, qvave injuria *Absolutio* hæc Regis facta sit, paucis exponere non alienum à munere historici fuerit. Ubi habita personarum ratione, qvarum in solenni hac scena adornata mentio fit, non dubitamus asserre eam fuisse partim *iniquam*, partim *ignominiosam*.

### §. 27.

Si Pontificem, qvi Clemens VIII. (Florentinus Hippolitus Aldobrandinus alias dictus,) respicimus, nullum illi jus in Regem Franciæ vel propter excommunicacionem vel propter hæresin competebat; ac proinde qvod  
hac

hac in parte egit, juris titulo, defendi nequit. Nam et si alias contra jus divinum & humanum curiae & Pontificis Rom. adulatores Imperatorem, reges ac principes omnes Papae subjectos esse volunt; Galliae tamen Regis heic magnam prærogativam esse propter libertatem & immunitatem Ecclesiae Gallicanæ, ex Gramondo (53) Jacobo Leschafferio (54) & multis novis scriptoribus notum est. Per illam enim libertatem ac immunitatem, inter alia potestas Papae etiam in causis Spiritualibus restringitur ad Canones & regulas antiquorum conciliorum, quos quasve regnum Franciae recepit. At nullum vestigium in illis comparet, Regem haeresi infectum, & quidem ab ea, jam ab Episcopo Galliae, congregata Synodo, absolutum, Episcopi R. ferulæ vel virgæ subjiciendum esse, ut idoneus regno gerendo fiat. Quid nec Papam Romanum, nec Legatum ejusdem a latere, de causis spiritualibus, cognoscendi potestatem in Gallia habere, si subditos res tangat, Limnaeus (55) ex scriptoribus Gallicis probat: quanto magis Rex ipse immunis esse debet à jure illo, quod affectat Pontifex. Ex quo & illud conseqvitur, Papae nullum Jus fuisse abrogandi vel etiam irritâ reddendi absolutionem, ab Episcopo Bituricensi jam factam. Quia probante Salmasio, (56) Episcopi Galliae, quoad actus hosce episcopales,

D

Papæ

---

(53) Gramond. H. G. L. 1. p. 68. sqq.

(54) Leschaf. tractatu de libertate Antiqua & canonica Eccles. Gall. ad supremas Francie curias, apud L. Bochellum qui Decret. Eccles. Gallic. libr. IV. cap. 1. fol. 646. ait, Nęque Papam, neque totum omnino clerum jus habere de ulla re temporali statuendi: Multo minus de ullo regno seu imperio supremo: Regem in Ecclesia eandem autoritatem habere quam Josias habuit &c. eandem etiam quam Constantinus M. qui se in ecclesia Episcopum rerum exteriorum esse affirmabat &c.

(55) Notit. Regni Franc. tom. II. l. 3. c. 1. Petrus de Marca de Concord. Sac. & Imp. l. III. c. 1. §. 5. certissima est ergo regula, ait quam Ecclesia prescrbit, Libertatem Ecclesie in eo versari, ut legibus suis utatur in causis D. E. I. Ergo etiam in hac causa.

(56) De primatu Papa C. XVI.

Papæ non sunt obnoxii: Adeoq; & is actus horum irritos declarare nequit. Id qvod moderni Galliæ Episcopi novis exemplis probare hactenus strenue laborarunt. Etsi Gallicanam Ecclesiam debere Schismatis ab Ecclesia R. postulari hac de cauſa, Petrus de Marca (57) negat.

§. 28.

Eqvidem videtur pro Pontificis jure allegari posse, qvod *Henricus* ejus potestatem in se agnoverit; dum absolutionem per legatos semel atq; iterum expetiit. Enim vero ex historia constat, *Henricum* qvidem ob temporum necessitudinem, metu insidiarum, ad evitandum grauius malum, sollicitasse a Papa etiam *absolutionem*; sed qvæ antiqua & non ignominiosa ceremonia constaret. Hautq; qvam vero in scenam publicam, & qvidem ignominiosam, per legatos trahi voluit, ut servi instar manumittendi haberetur. Ideo apud *Mezrayum* legitur, legatos eum subinde monuisse, ne qvid majestate sua indignum qvoad hunc qvidem actum admitterent.

§. 29.

Et utinam Legati memores fuissent mandati ac voluntatis Regis, qvam per dromones singulis horis Romam missos, *Henricus* illis inculcavit. Verum purpura, cuius spe alebantur, hos excœcavit, ut posthabita religione mandati, in ignominiosum hunc actum consentirent. Qvapropter Perronius ex eo tempore in Gallia male audiit, qvod studio aucupandi favorem Papæ, Regem suum in effigie qvasi fustigari passus sit. Ignorare sane non poterat, qvod vero vulgi verbo jactatur, *mandata stricti juris esse,*

---

(57) *Petr. de Marca de Concordia sacerdotii & Imperii seu de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanae* libr. i. c. 1. 2. 3. seqv. libr. ii. tamen adstruit. secundum fundamentum libertatis Ecclesiæ Gallicanae, esse supremum Regis imperium: & duarum potestatum consortium Ecclesiæ Gallicana nomine *quid Gallos continet;*

effe, ac legatum minime illius fines excedere posse. Ipsa fides socialis & communis mandatorum religionem sanctit, quam certis formulis (58) lex civilis perscripsit; ut si qvi in privatis rebus rem mandatam non modo mali- tiosius gessisset sui qvæstus aut commodi causa, verum etiam negligentius, eum Romani summum admisisse decus existimarent: itaque mandati constitutum fuit judicium non minus turpe, quam furti: quo in minimis rebus, qvi mandatum neglexerat, non sine nominis infamia condemnabatur. Nullo proinde judicio Perronius & Ossatus a gravi culpa absolvi poterunt, qvod contra Regis sui mandatum Papæ se disciplinæ servili more exercendæ subjecerunt. Si legato non cedit laudi, cum ab externo principe (59) novos honorum titulos sibi conferri patitur: quanto magis reprehendendi erunt legati, qvi Principis sui loco ignominiosam castigationem subire non detrectant; cum alias generosi legati, munera & honores, a peregrinis Principibus parum faventibus accipere, minus gloriosum sibi duxerint. (60)

### § 30.

Certe ut culpa ignominiae hujus in Legatos Henrici nostri redundat maxima; ita qvivis videt, ignominiam mansisse Henricum, regem ἀνυπεργενον & vera maiestate fulgentem; qvod publice spectante populo, a ser-

D 2

vo

(58) *V. Ciceron. pro Sex. Rosc. Am.* Facit ad illustrationem hujus philosophiæ, *Gellii L. I. C. 13. N. A.* Disputatio, & doctrina *H. Grotii de J. B.* & *P. P. II. 11. 12. & III. 22. 2. Dn. Pufend. de J. N. & G. I. V. c. 3.* adde ideam boni Legati à Meleandro in *Barcl. Arg.* descriptam. Apud Græcos olim malæ gestæ Legationis actio freqvens erat: illustre exemplum est in oratione *Demosthenis contra Æschinem* οὐδὲ τὸ παραπλεόν. *Conf. Quintil. Institut. Or. VII. 4.*

(59) Exempl. Arundelli & aliorum vid. *ap. Camd. ad Ann. 1596. p. 274. it.* *ad An. 1594. p. 672.*

(60) Exempl. est apud *Wicqves. Amb. L. I. C. 30. p. 669.*

vo servorum Papa, propter hæresin imputatam (â qua-  
tamen, juxta Ecclesiæ Gallicanæ libertatem, jam erat ab-  
solutus,) Virga, servili more in legatis castigatus fuerit.  
Ut enim delinquenti pœna in imagine irrogari solet, (61)  
ita qvod legatis hac in parte accidit, censetur ipsi Prin-  
cipi, cuius personam repræsentant, accidere. Ac ne  
qvis bacillum aut virgam hanc paternæ benignitatis &  
autoritatis signum interpretetur, *Thuanus* (62) eam vin-  
dictam nominat, qva ut olim servos apud Romanos ma-  
numissos; sic ait, nunc peccatis nexos, per absolutio-  
nem in libertatem asseri Christianam. *Piafecius* (63)  
qui actum hunc. *Comoediæ* non dissimilem describit, pœ-  
næ loco fuisse ipsi (Regi) injunctum, addit: *Ut singulis*  
*diebus missam sacram, & diebus Dominicis ac feriis sextis,*  
*plenum officium audiret, nisi impediretur: singulis feriis reci-*  
*taret, secunda coronam B. Mariæ Virginis: quarta litaniam*  
*de eadem B. Maria Virgine: Sabbato preces Rosariæ ejusdem*  
*B. M. V. quam Advocatam sibi coram DEO eligeret: quater*  
*in anno confiteretur peccata sua sacerdoti Catholico & S. Eu-*  
*charistiam sumeret: in singulis provinciis singula monasteria*  
*extrueret ac dotaret: jejunia & vigilias ab Ecclesia institu-*  
*tas religiose servaret.* Qvam pœnam Regi Galliæ sane  
non convenientem legati admiserunt, manu etiam sua  
illam adprobantes anteqvam ad pedes Pontificis proster-  
nerentur ac bacillum (ut *Piafecius* vocat,) oblongum sca-  
pulas suas pulsantem exciperent.

§. 31.

Nec satis erat ignominia, qva Rex publice jam affe-

ctus

(61) Qualis contigit Henrico IV. Hisp. R. ref. *Dn. Pufend. Introd. ad Hist. C. 2. S. 8. p. 71.* & Mazarino cit. *Thulden P. 1. L. 1. An. 1652. p. 27.* Ex-  
empl. Pisonis & Sejani vid. *ap. Tac. A. 3. C. 14. & 6. c. 2.*

(62) L. 113. *Hist.* p.

(63) In *Chron.* p. 136.

ctus fuerat in legatis, nisi & instrumenta publica per (64) protonotarios & notarios de hoc actu conficerentur; ne memoria facinoris adeo illustris intercideret. Non multo post Pontifex Alexandrum Beninum cum diplomate misit in Galliam, ut hoc præsente etiam Rex hæresin e-juraret, & professionem, qvam dicunt, fidei faceret, confirmaretq; omnia, qvæ legati nomine suo promisissent, & tum demum illud absolutionis diploma Pontificium haberet. Qvod, an ad libertatem Ecclesiæ Gallicanæ faciat, Galli ipsi dispiciant. Veteres sane Galliæ Reges Papæ hac in parte masculine contradixerunt. Nota est Philippi Pulchri sententia, qva R. P. Bonifacio VIII. regnum Franciæ feudum suum afferenti, respondit: *Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos nulli subesse.* (65) Qvod responsum in Gallia nescire, periculose existimat *Casaubonus.* (66) Ludovicus XII. R. Galliarum, à Julio II. (qvem aliqui Pontificatum in summo fastigio vidisse afferunt,) excommunicatus, inanes diras contraria abnunciatione generose (67) vicit; cuso etiam Neapoli numero, qvi effigiem suam ex una parte ostendit cum hoc lemmate: **PERDAM BABYLONIS NOMEN.** Qvam graviter tulerit Ludovicus XIV. qvi jam florentissimo Galliæ regno præst, cum legati sui Caroli ducis Creqvii ædes ac rheda, qva uxor vehebatur, a Corsensibus seu milite Cirneo, anno hujus seculi LXII. læsæ forent, testantur *Priolius,* (68) *Bussierius* (69) & *Wicqvefortius.* (70)

D 3

§. 32.

(64) *Pi. sec. in Chron. l. all.*

(65) *Vid. Lanf. Consult. Or. contr. Ital. p. 788. Paulin. Histor. Arct. L. 2, C. 44. p. 102.*

(66) *Epist. 624. p. 719.*

(67) *Thuan. L. 1. Hist. Gall.*

(68) *De rebus Gall. L. 12. p. 506. sq.*

(69) *In Additam. Histor. Franc. p. 658.*

(70) *Ambaff. L. 1. C. 27. p. 611.*

Henricum tamen nostrum temporum necessitudini cedere oportuit, ac injuriam illatam quasi dissimulando deglutire; ut, qvod curæ ipsi maximæ fuit, regnum per bella civilia dilaceratum stabiliret. Forte ipsi solatio esse poterat memoria Imperatoris sui nominis (71) Henrici IV. ab Hildebrando Papa excommunicati, & ante absolutionem durius adhuc ipso habiti: qvippe qui Cardinale Benone teste, cum lacrymabili afflictione publice, nudis pedibus, in lanceis vestibus, hyeme præter solitum aspera apud Cannusum, spectaculum Angelorum factus & hominum, Hildebrandi ludibrium triduo pertulit. Qvam Hildebrandi seu Gregorii VII. tyrannidem H. Grotius (72) & D. Schilterus Jctus (73) doctissimus notant ac perstringunt. Inter Galliæ Reges sane nullum reperire licet, qui simili modo, a R. Pontifice castigatus fuisset. Valuit enim in Gallia, qvod Gregorius Turonensis Chilperico Regi dixit: *Si tu exceceris, quis te corripiet? loquimur enim tibi: Si autem nolueris, quis te damnabit, nisi is, qui se pronunciat esse justitiam?* vel, ut (74) Hildebertus Cenomanensis Episcopus scribit: *Apud Serenissimum Regem opus est exhortatione potius, quam increpatione, consilio, quam præceptis, doctrina, quam VIRGA.* Dedit ergo Henricus noster documentum grande patientiæ, qvalem Pontifex a Magno suo Nepote hodie frustra expectet: Qvippe qui ante hos duos annos convocato Clero Gallicano, per decretum solenne publicatum, potestatem Pontificis R. ante hac affectatam intra limites angu-

(71) Vid. Histor. apud Lambert. Schafnaburg ad A. C. 1076. adde Otton. Frising. Chron. l. V. c. 35. Maimburg. Histoire de la decadence de l' Empire apres Charlemagne livr. III. p. 236. 37-252. sq.

(72) De Imp. Summ. Pot. circa sacra c. IX. n. 20.

(73) Dn. D. Schilteri de Libet. Eccles. Germ. l. IV. c. 2.

(74) Libr. V. c. 19. A. D. 577.

angustiores rededit. Utinam mitius ageret cum Hugo-  
nottis, qvorum ope avus primum in Gallia eluctari cœ-  
pit. Deus, in cuius manu principum animi sunt, ei hanc  
mentem adspiret, ut pacem servet, conscientiæ vero  
dominium, cui soli competit, Deo permittat!

s. D. G.

---

## Additam.

### I.

*Licet interdum male promissis, male stare, :*  
Illustrè exemplum ejus rei exstat apud *VVicqveſ*.  
*L' Ambassadeur l. 2. ſect. 7.*

### II.

Mirum non est Henricum IV. G.R, cito canis  
aspersum fuisse: Nam

*Ante diem canos anxiam cura facit.*  
Qvare ipſe dicere ſolitus eſt : *Ventum adverſita-*  
*tum canos ſibi afflaſſe.*

### III.

Si par pari referre licet, habent Galli, qvod Hi-  
spanis nostro tempore respondeant.

### IV.

Bona mens ſine DEO nulla eſt, recte *Lipſius*  
*l. de conſtant. c. 5.*      V.

*Sine conſilio nulla fortitudo, recte Bußier.*

### VI.

Barclaji Argenis eſt politica.

vii.

*QH Th 555*

VII.

Non omnes caußæ, cur Deus homines paganos  
aut infideles in tantum potentia fastigium crescere  
sinit, ut Christianos affligere queant, absconditæ  
sunt.

VIII.

Etsi tituli Principum non semper corresponde-  
ant factis suis; non tamen ideo illis denegari debent.

IX.

Si privatos potentia aut favore potentiorum  
nixos, aliis impune insultare videmus; minus mirari  
decet, qvando id principes faciant.

X.

Recte Baconus de Verulamio inter caußas a-  
theismi refert, consuetudinem profanam ludendi &  
jocandi in rebus sanctis, qvæ sensim reverentiam  
religionis atterit.

XI.

Philosophandum etiam est multis.

XII.

Recte tertius ordo in Gallia ad Clerum in co-  
mitiis, apud Gramond. libr. 1. p. 69. dixit: summis  
Pontificibus inesse hominum affectus: neq; hodie su-  
pra nimbos positum adeo fastigium Apostolicæ sedis,  
ut velut in olympi cacumine maneant indeleta, post  
annos mille sexcentos, qvæ Christus in petra ex-  
ravit, æquanimitas, ovium curasolers & innocens,  
judicia procul à privatis rebus æqua in omnes.

• 8(0) 80 •

Q.K.  
374,  
30.

X1903

HE  
R.G.  
T

DN.

Ad

JOH.

IV.  
OLU.  
NA,

Jenbergs/  
Publ.  
ndo,  
XXXIV.

amerf. Sil.

HERI.

